

talis actor, si petierit detur sibi etiam terminus pro tertia di-
 latione. ¶ Et si non fecerit aliquid [in] prima vel in secunda
 dilatione, non debet habere tertiam. ¶ Et elapso termino ter-
 tie dilationis, si aliqui testes iuraverint in aliqua dictarum
 5 dilationum qui non deposuissent dictum suum, remaneat in
 discretione dominii de dando alium terminum ad deponendum
 testibus iuratis. ¶ Quibus dilationibus sic elapsis, similes di-
 lationes per dominium dentur reo petenti ad probandum ut
 supra dictum est. ¶ Et locatis dictis terminis utrique parti,
 10 tunc locetur alius terminus partibus et utrique parti peremp-
 torie, ad probandum per instrumenta et producendum omnia
 sua iura et instrumenta, exceptis allegationibus; quo termino
 elapso, tunc pronuntietur processus pro aperto, et utraque
 pars possit habere copiam omnium actorum et processuum,
 15 (et opponendum) et detur terminus // ad habendum dictam co- 195 A
 piam et opponendum, et ab inde in antea, elapso termino dato
 ad probandum per instrumenta et producendum iura, ut supra
 dictum est, nullum instrumentum possit produci in principali
 questione, preter allegationes predictas, nisi fuerit ius obser-
 20 vatum producendi ultra dictum terminum. ¶ Salvis opposi-
 tionibus et probationibus que fiunt contra processum testes
 attestaciones vel instrumenta, de quibus volumus per domi-
 nium cognosci debere, prout de iure fuerit procedendum.
 ¶ Et si in termino locato ad opponendum contra processum
 25 aliquid non fuerit oppositum, tunc concludatur in causa et
 notetur questio et statuatur terminus ad dandum allegationes
 partibus in dicta questione. ¶ Salvo quod in qualibet dila-
 tione et termino valeat cuilibet alleganti iustum inpedimen-
 tum, remanendo tamen in discretione dominii si inpedimentum
 30 fuerit iustum aut non, et si dominio videbitur fore iustum,
 restituatur pars de tali inpedimento prout dominio videbitur.
 ¶ Et in qualibet dilatione et termino petito a parte dari¹⁾
 debeat sacramentum, parti petenti dictum terminum, de ca-
 lumpnia, si talem terminum [petit]²⁾ animo calumpniandi vel
 35 dilatandi questionem, et hoc si dominio videbitur dictam di-

¹⁾ dare. ²⁾ Così anche gli Stat. 1365